

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae VIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

tuus. Et lib. 5. ad Attic. epist. 2. *Cum Hortensius veniret, et infirmus, et tam longe, et Hortensius.* Et lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Rempublicam funditus amisimus: adeo, ut Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen ciuis Romanus, et Cato, vix viuus effugeret.*

Senatus consultum et leges] Quibus erat annua prouincia. Et ad M. Marcellum consulem, his verbis, lib. 15. epist. 9. *Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatus consulto et lege finisti.* Legem curiatam significat, quam ferebat consul, ut is, qui profecturus erat in prouinciam, annum imperium haberet a populo. alioqui rem militarem attingere non licebat: quod satis demonstrat orat. 2. in Rullum c. 10. seqq. Sed hic *leges*, non *legem*, Cicero appellat: quod non vna lege curiata consularium prouinciarum administratio

esset annua, sed, ut opinor, etiam Cornelia, et Sempronia: quae nominatur lib. 1. epist. 7. et 9. et lib. 3. epist. 6. et 10. et in orat. pro domo c. 9.

Defendas] Intercedas, si quis prouinciarum tempus prorogare voluerit. Lib. 5. ad Attic. epist. 21. *Ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo.* Et lib. 6. ad Attic. epist. 2. *Magna in spe sum, mihi nihil temporis prorogatum iri. Habebam acta urbana usque ad nonas Martias; e quibus intelligebam, Curionis nostri constantia omnia potius actum iri, quam de prouinciis.*

Conditio] Ne plus anno prouinciae praeesset.

Etiā atque etiā] Vsurpatur et solum, ut saepe apud Cicero-nem, et adiunctum, ut hic. ubique augeat.

EPISTOLAE VIII. ARGVMENTVM.

Acceptis Coelii litteris, quae lib. 8. primae leguntur, et cum litteris commentario rerum urbanarum, in quem omnia, sine detrimento, operarius nescio qui, a Coelio conductus, retulerat, ineptam Cicero sedulitatem reprehendit in colligendis leuissimis rebus. Tum de sermonibus cum Pompeio habitis, quod Coelius quaesierat, cum Pompeii laude respondet; atque, ut ei se det, hortatur. Addit de suo in prouinciam itinere. Clausula commendatio est rerum suarum; in quibus hoc praecipue laborat, ne sibi annum prouinciae tempus prorogetur, sed ea conditio maneat, qua profectus est.

EXPLANATIO.

Compositiones] Quis cum aliquo pugnasset, inde per gladiatorum dicebatur, cum duo comparabantur, et componebantur ad certamen. recitat Lucilii versus Cicero in li-

bro de optimo genere oratorum c. 6. quos subscribam. *A me, inquit, (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Aeschines,*

3am.

tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius,

non spurcus homo, sed doctus, et acer,

Cum Pacidiano hic componitur, optimus longe

Post homines natos.

Et Virgilius ecl. 1. v. 24.

— *Sic parvis componere magna solebam.*

Et Quintilianus lib. 2. c. 17. *Saepe gladiatores sub eodem magistro eruditi inter se componuntur.*

Vadimonium dilata] *Differre vadimonium*, est prorogare diem, de quo inter litigantes conuenerat, ut in iudicio adessent. nam *vadari*, est diem iudicio ex compacto constituiere.

Chrest compilationem] Res a Chresto compilatas, furto sublatas. Chrestus, cognomen est; cuius gentis, ignoratur: nisi si Maniliae: nam Manilii Chresti librum de hymnis deorum nominat Fulgentius in libro de prisco sermone.

Πολιτικώτερον] Peritiorem administrandae reipublicae.

Rumor] Incerta fama, sine capite, sine auctore, rumore nuncio: ubi quid eiusmodi est, ut non exstet auctor, qui audierit. Sic enim ipse definiuit in orat. pro Plancio c. 23. et lib. 12. epist. 10.

Longe in posterum prospiciente] Quod sine summo ingenio, ac diuturno rerum usu consequitur nemo.

Ex tuis litteris, cum formam reipublicae viderim] Translatio ab architectis, qui futurum aedificium ex forma ostendunt. Formam, et statum, inquit, reipublicae scribi a te velim: deinde, quid ex ea forma, eoque statu futurum prospicias, indicari. Duo enim Cicero postulat, formam primum reipubli-

cae; deinde Coelii coniecturam, ex ipsa forma captam, de futuro reipublicae statu. non enim ipse vult ex forma reipublicae a Coelio missa coniecturam de futuro aedificio facere: cum dixerit, *abs te, ut ab homine longe in posterum prospiciente, futura expecto*. alioqui, missa tantum forma, nihil de futuris rebus Coelius significaret: contra quam Cicero postulat. *Forma* pluribus modis accipitur. Aut enim est aedificii, ut hic, et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *De forma Minuciana*: aut cuiusque hominis et cuiusque rei; quae sine interitu subiectae rei amoueri non potest: aut est ipsa formositas et pulchritudo, unde *formosa mulier*, et per similitudinem *formosus annus* apud Virgilium ecl. 3. v. 57. aut aquae ductus, ut in antiquis inscriptionibus: *purgato fonte restituta forma*: et *aquas Curtiam et Caeruleam noua forma reducendas*. Et Sidonius Appollinaris lib. 1. epist. 5. Codex Theodosianus tit. de aquae ductu: Cassiodorus Variarum lib. 3. 72. lib. 4. 85. lib. 8. 128.

In primisque ego] Qui cum Pompeio de republica locutus, futura magis quam tu, aut certe non minus quam tu, prouidere potui. Quiuis nostrum, inquit, in primisque ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in aliis, nisi de republica, sermonibus versatus sum, acque ac tu, futura prouidere potui.

Complures dies] Triduum. nam lib. 5. ad Attic. epist. 7. *cum triduum, inquit, cum Pompeio, et apud Pompeium fuisset, proficiscbar Brundisium a. d. XIV. Kal. Iunias.*

Versatus sum] Tarenti; ut lib. 5. ad eundem epist. 6. Quod si quaeratur aliquis: quid agebat eo

tempore Pompeius Tarenti? crediderim, eo se contulisse valetudinis causa post grauem illum morbum, quo cum prope urbem Neapolim laborasse, Plutarchus, et Cicero Tusc. 1. c. 35. demonstrat. aegrotauit enim post tertium consulatum; eoque tempore Cicero in prouinciam iuit.

Quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt] Scripserat enim Coelius lib. 8. epist. 1. *Si Pompeium offendisti: qui tibi visus sit, et quam orationem habuerit tecum, quamque offenderit voluntatem, fac mihi perscribas.* Quae, dixit, cum ea significaret, quae in illis de republica sermonibus egerat cum Pompeio.

Animo, et consilio paratum] Cum neque timeat quidquam, nec ad cavendum egeat consilio. Eodem modo illum laudat lib. 5. ad Attic. epist. 7. *Ciue illum egregium relinquebam, et ad haec, quae timebantur, propulsanda paratissimum.*

Date homini] Accommoda te ad illius voluntatem. sic enim Donatus illud Terentii in Adelph. Act. 5. Sc. 3. v. 52. explanat, *Da te hodie mihi.* Nepos in Attici vita c. 9. *Qui aduersariis eius se dabant.*

Iam] Non ut antea. nam proximo superiore anno Pompeius tertium consul operam dederat, ut decem tribuni plebis legem ferrent, qua liceret absenti Caesari, et prouinciam exercitumque retinenti, consulatum petere. lib. 6. epist. 6. et lib. 7. ad Attic. epist. 1. lib. 8. epist. 3.

Nobis] Mihi et tibi. nam ante professionem Ciceronis in prouinciam recte Coelius de republica sensit: postea, vel Curionis amore, vel Ap. Claudii odio, ab optinati-

bus ad Caesarem defecit: quod ipse lib. 8. epist. 17. confessus est, idque confirmant in libro de clar. orat. c. 79. haec verba Ciceronis: *Hic cum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo discessit a sese, ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse peruerterat.*

Ipsos] Neque plures, neque pauciores, plane decem. Lib. 3. ad Attic. epist. 21. *Triginta dies erant ipsi, cum has dabam litteras, per quos nullas a vobis acceperam.* Et in Bruto c. 15. *Hunc Cethegum consecutus est aetate Cato — mortuus est annis LXXXIII. ipsis ante me consulem.*

Gallus Caninius] Quem reum defenderat, Pompeii rogatu, iterum consulis. lib. 7. epist. 1. vide quae Valerius lib. 4. c. 2. de hoc, ut arbitror, Caninio scripsit. Alii, contra veteres omnes libros, etiam illum Mediceum, quem plurimi faciunt, legunt, C. Caninius, et lib. 7. epist. 1. offensi fortasse Caninii cognomine ante nomen gentis posito: cum tamen huius generis exempla non desint. dixit enim Cicero lib. 8. ad Attic. epist. 12. et lib. 13. epist. 49. et lib. 8. epist. 15. *Gallo Fabio, Balbi Corneli:* et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 4. *Macer Lisinius.* Et in Laelio c. 11. *Papum Aemilium.* Et Liuius lib. 45. c. 4. *Paulus Aemilius consul.* cum tamen Gallus, Papus, Paullus, cognomina fuerint, non praenomina. ut omitam, quod lib. 6. epist. 8. veteres libri habent, *T. Furfano Postumio,* non *T. Furfano Postumo.* nec desunt huius generis alia.

Prorogatur] Quod metuebat, emergente iam inter Caesarem, et Pompe-